



AD ILLVSTRISSIMUM
PRINCIPEM MAVRITIVM LAND.
GRAVIVM HESSORVM, COMITEM IN
Cattenelbogen, Dietz, Zigenhain & Nidda,
dominum suum clementissimum,
Lazari Schoneri præfatio.



PETRVS Ramus, illustrissime princeps, cum
sua dialecticæ usum in poetis & oratoribus legen-
dis atq; imitandis demonstrasset, eam consecutus
est facultatem, ut paulatim liberales artes omnes
ad incudem revocaret, ad quam adolescens logi-
cam ipsam in primis volentem vocaverat. Igitur
post dicendi artes arithmetica quoque geometriaq; renovata tan-
tam repente gratiam consecuta sunt, ut post Euclidem & Theonem
tot seculis primus P. Ramus $\sigma\omicron\iota\chi\lambda\omega\tau\eta\varsigma$, hoc est, mathematicorum e-
lementorum autor habeatur. Cum igitur in animo habeam, in hujus
editionis meæ principio tuam Celsitudinem ad matheseos novum pa-
trocinium cohortari, opportunū videtur, quid intersit inter hos duos
Stoicheiotas è mathematicis scholis ante omnia breviter recognosce-
re, ut melioris logicæ meliorem partem amabiliorem efficiam. Duæ
sunt causæ doctrinæ cuius essentialis, materia videlicet & forma:
quibus qui excellit absque dubio doctrinæ melioris autor habeatur.
Matheseos materies est primùm arithmetica de numero, tum geo-
metrica de magnitudine. Ergo P. Ramus, quod erat arithmeticum,